

**2002-03-26 – SS Ioannes Paulus II – Constitutio ‘Taytayensis’**

**IOANNES PAULUS EPISCOPUS  
SERVUS SERVORUM DEI  
AD PERPETUAM REI MEMORIAM**

**CONSTITUTIO APOSTOLICA**

***TAYTAYENSIS\****

**VICARIATUS APOSTOLICUS TAYTAYENSIS CONDITUR**

Evangelizandi operi in Philippinis Insulis ut quam efficientissime prospiciatur suadet Nobis Congregatio pro Gentium Evangelizatione ut inibi novum curemus Apostolicum Vicariatum excitandum. Huic autem consilio cum prorsus adsentiamur, re penitus ponderata auditisque omnium quorum intererat sententiis, pro Apostolicae auctoritatis Nostrae plenitudine haec singillatim decernimus edicimusque. Septentrionalem partem Vicariatus Apostolici, qui Palavanensis adhuc nominatur, seiungimus atque in Vicariatum Apostolicum posthac *Taytayensem* nuncupandum convertimus secundum universas iuris communis regulas et normas hac de re vigentes. Fidenter omnino novam hanc dicionem pastoralibus curis commendamus Ordinis Augustinianorum Recollectorum. Totum vero ut hoc negotium felicissimum perducatur ad effectum, iubemus operam sedulam dare Venerabilem Fratrem Antonium Franco, Archiepiscopum titulo Gallatinum iisdem in Philippinis Insulis Apostolicum Nuntium. Litteras autem has Nostras vim suam efficaciamque exserere volumus tam in praesens quam omne in posterum tempus.

*Datum Romae apud Sanctum Petrum, die sexto et vicesimo Martii mensis anno Domini bis millesimo secundo, Pontificatus Nostri vicesimo quarto.*

ANGELUS card. SODANO  
*Secretarius Status*

CRESCENTIUS card. SEPE  
*Congr. pro Gentium Evang. Praef.*

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*  
Leonardus Erriquenz, *Protonot. Apost.*

---

\*A.A.S., vol. XCIV (2002), n. 9, p. 557